

Liber Augustini Niphi medice De intellectu
ad excellentissimum Equitem Sebastianum Baduarium Patritium Venetum

Liber primus

PROOEMIUM, IN QUO DECLARATUR INTENTIO ET MODUS PROCEDENDI

Negocium de anima non modo apud veteres excellentissime Sebastiane difficile, sed etiam iuniores arduum hactenus recipitur. Quod ex eorum discrepantia nobis patet, cum enim dicta eorum legimus, non tantum eos circa genus remotum discrepare, verum et circa proximum ample titubare comperimus, et quanto magis in animae diffinitione communi ac propria. Unde in genere remoto disceptantes dixerunt horum quidam eam esse quantitatem ac numerum, ut Xenocrates Platonis auditor, Plato ipse ac praeceptor Socrates. Alii qualitatem, ut Galenus et Asclepiades et Homerus complexionem scilicet. Alii relationem, ut Empedocles Agrigentinus armoniam et proportionem. Alii substantiam eam esse tanquam prima certitudine patens, ut Aristoteles et Anaxagoras, et alii multi asseverant.

Adhuc et circa proximum genus ambigunt, an scilicet corpus, an incorporea, qui enim ex motu eam adinvenire conantur, fere omnes eam in corporis genere componunt, ut Democritus igneum calorem ex igneis atomis eam ait esse. Tum quidem quia omnium corporum formalius ac in actione promptius. Tum vero quoniam omnium corporum maxime ad motum celer. Leucippus eius socius ait fere eadem de causa eam corpus esse sphaericum, propter motum secundum omnem differentiam positionis. Diogenes quoque aerem, Hippocrates aquam propter seminis compulsionem. Critias sanguinem, Hippocrates spiritum per totum corpus divulgatum ait. Rursum et alii qui cognitione eam invenire laborant, inter quos Heraclitus Ephesius principia omnium rerum vapores esse affirmans, animam vaporem inquit, cui Cratillus eius fidus collega, propter eam esse in continuo motu naturam coeli eam pronunciat, quod igitur anima corpus hi testatur veteres.

Quod vero incorporea Pythagoras, Archelaus Socratis praeceptor, Anaxagoras, Aristoteles, Constabel, qui auctor De differentia spiritus et animae dicitur, Avicenna, Averroes et omnes Latini conati sunt demonstrare.

Quae quidem igitur in genere remoto ac proximo veteres ambigunt haec sunt. Cum igitur intentio mea est de anima rationali, quae una animae species dignissima est pertractare, quaecunque dicta ab antiquis relinquens, primo animae diffinitionem communem, quae non tantum humanam, de qua tantum priores, partim quod ita collibitum erat, partim quod inviti fallebantur, egerunt, sed eam quae animas omnes ambitu suo contineat, accurate tibi inducam. Post hoc ad propriam animae diffinitionem condescendam, accidentia quaesita in ea exponens, et sic sermo complebitur.

[...]

Liber sextus

QUI EST DE STATU ANIMAE

Cap. 1

In quo narratur intentio libri, et ordo dicendorum

Quae dicta sunt in his de intellectu supponantur ut de origine animae, immortalitate, separabilitate, et multitudine. Rursum et quae in commento nostro De anima, et in libro De beatitudine omnia confesse subiicienda. Consequens est de statu animae pertractare, est autem status eius terminus ultimus vel omnium actuum quies, ac permansio vel beatitudo omnium bonorum congregatione perfecta, ut philosophi dicunt. Invenimus autem hic diversas positiones, quoniam quidam statum eius in corpore ponunt, quidam et post corporis solutionem. Et quia ipsa in corpore prior est seipsa extra corpus, consequens est, ut primo positiones de statu animae tractemus quae ipsam in corpore tantum stare confitentur. Deinde positiones eorum qui eam post corporis solutionem stare, ac permanere sentiunt. Est autem pertractio haec honorabilis, appetibilis ac difficilis. Honorabilis quoniam sicut Aristoteles in 8. Topicorum capite 4. dividere autem huiusmodi est, ut quoniam disciplina a disciplina melior aut in eo quod certior est, aut eo quod melior, et quoniam optimum omnium naturalium animus est, et quanto erit optimus quando in eo perfectionem et statum ac quietem intelligimus. Ergo pertractatio nostra honorabilis est, cum de re honorabili ac optima sit. Appetibilis vero quoniam desiderium humanum est velut via, status autem terminus, ergo cum haec tractatio est de termino nostri desiderii, erit et summopere desiderabilis. Quod vero difficilis ac ardua res profecto quilibet credat, sunt enim tot viri, qui hac in re cespitarunt, quod secum cespitare facerent multos, et maxime cum in Aristotele quaestionem hanc solutam non invenimus in libro De anima, ubi debeat eam solvere, et sic patet intentio, ordo dicendorum, et utilitas tractatus.

[...]